

19

# N a c h r i c h t

über das

## Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

**Dr. G. Kramer,**

Director des Königlichen Pädagogiums und der Franckischen Stiftungen.

---

Einunddreißigste Fortsetzung.

---

### Inhalt:

- I. Servii grammatici in Vergilii Georg. lib. I, 1—100 Commentarius. Ed. Dr. Thilo.
- II. Schulnachrichten über das Königliche Pädagogium, vom Director.

---

Halle,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1866.

19



1818

# Einige Bemerkungen über die Geschichte der Buchdruckerei in Halle

Die Buchdruckerei in Halle hat eine lange Geschichte. Sie ist eine der ältesten in Deutschland. In der Mitte des 15. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt. In der Mitte des 16. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt. In der Mitte des 16. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt.

Die Buchdruckerei in Halle hat eine lange Geschichte. Sie ist eine der ältesten in Deutschland. In der Mitte des 15. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt. In der Mitte des 16. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt.

Die Buchdruckerei in Halle hat eine lange Geschichte. Sie ist eine der ältesten in Deutschland. In der Mitte des 15. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt. In der Mitte des 16. Jahrhunderts wurde die erste Buchdruckerei in Halle gegründet. In der Folgezeit hat sich die Buchdruckerei in Halle immer mehr entwickelt.

1818



Anno 1600 Servii in carmina Vergilii commentarii e bybliothea Petri Danielis 'longe auctiores' prodierunt. quinque enim libris manu scriptis Daniel usus erat,\*) quibus praeter ea scholia, quae Servii esse certissimis testimoniis constat, alia multa continebantur, quae ante illud tempus non erant edita. haec additamenta Daniel quamquam a Servii nomine aliena esse intellegebat a Servianis tamen non disiunxit, quam neglegentiam qui post eum Servii commentarios ediderunt praeter Petrum Burmannum imitati sunt omnes. is enim primus ea quae Daniel e suis libris addidit ab iis quae Servii codices habent uncinis quadratis distinxit. qua ratione tametsi effectum est, ut Serviana ab iis quae non sunt Servii tantum non omnibus locis recte discerni possint, tamen si quis genuinam Serviani operis formam e Burmanni editione volet eruere, is aegre feret, quod interpolationes illae, quibus et verborum et sententiarum contextus obscuratus est, non sine molestia legendo praetermittuntur. quod cum ita sit, iis qui Servio utuntur me gratum fecisse puto, quod commentarium in Georgicon libri primi versus 1—100 ita edendum curavi, ut Danielis additamenta a Servii scholiis seiuncta in adnotationem criticam relegarentur. eodem modo quae e libris interpolatis vel alii receperunt vel ipse exscripsi a Servianis separata dedi. libri autem manu scripti quibus usus sum hi sunt:

Parisinus 7959 (*P*) in membranis formae quadratae saeculo decimo scriptus. continet Servii commentarios in Bucolicon Georgicon Aeneidos libros.

Bernensis 363 (*B*) membranaceus, formae quadratae, saeculo nono scriptus. accuratius de hoc libro disputatum est a Ferdinando Hauthalio (Schol. Horat. vol. I. add. et corr. p. VIII sqq.) et a me in libello scholastico gymnasii Numburgensis anni 1856 p. 7 sqq.

\*) Lemovicensi in septem posteriores Eclogas et Georgicon librum primum usque ad versum ducentesimum septuagesimum octavum: Floriacensi in aliquot locos Georgicon et Aeneidos: Antissiodorensi in omnem Aeneida: Turonensi in certos eiusdem locos: Fuldensi in primum et secundum Aeneidos.

\*

Vaticanus 3317 (*V*) in membranis formae maximae saeculo undecimo litteris quae Longobardicae dicuntur scriptus. continet fol. 1—26 commentarium in Bucolica, fol. 27—86 in Georgica, fol. 87—89 in Aen. I 1—35. Servianis scholiis in Georgicon libris ea addita sunt, quae Philargyrio tribuuntur, quae ex hoc codice primus edidit Fulvius Ursinus anno 1587.

Leidensis 80 (*L*) vel Vossianus hist. et litt. in octavo 80, membranae saeculi decimi, Lemovicensis Danielis. continet commentarios in Ecl. IV—X et Georg. I 1—279. fol. 76 v. (50 *Praecipitemque Daren ardens*) — 79 v. (83 *INARATAE non satae, unde est illud*) situ aliisque sordibus corrupta sunt. atque ea quidem quae fol. 77 v. (58 *ferrum unde abusive*)—79 r (74 *LEGUMEN legumen dicitur*) scripta erant iam eo tempore quo Daniel hoc codice usus est perierant omnia. in reliquis paginis ille non nulla legit quae postea evanuerunt: ea ex editione anni 1600 repetii et uncinis quadratis inclusi.

Reginensis 1495 (*R*) in 125 membranis formae quadratae scriptus. fol. 85—125, quae commentarios in Bucolica et Georg. I 1—375 continent, saeculi decimi sunt. huius codicis scripturam in Servianis nisi paucis locis, ubi operae pretium videbatur, non adnotavi, ea autem quae praeter Servii scholia habet accurate exscripsi.

Parisinus 7965 (*H*) chartaceus, saeculo quinto decimo scriptus. continet Servii commentarios in Bucolicon Georgicon Aeneidos libros. hunc quoque codicem non propter Servium inspexi, sed propter ea quae Servianis scholiis aut innixa sunt aut in margine addita ab alia manu, quam secundam dixi. eorum maxima pars e Reginensi 1495 et Vaticano 3317 petita est.

Ceterum de his libris copiosius dixi in commentatione quae inscripta est 'Beitraege zur Kritik der Scholiasten des Vergilius', et novi Musei Rhenani volumini XIV (p. 535 sqq.) inserta.

G. Thilo.

SERVII GRAMMATICI  
IN VERGILII GEORG. LIB. I, 1—100  
COMMENTARIUS.

Vergilius in operibus suis diversos secutus est poetas: Homerum in Aeneide, quem, licet longo intervallo, secutus est tamen; Theocritum in Bucolicis, a quo non longe abest; Hesiodum <sup>1)</sup> in his libris, quem penitus reliquit. <sup>2)</sup> hic autem Hesiodus <sup>3)</sup> fuit de Ascera insula, <sup>4)</sup> qui scripsit ad fratrem suum Persen librum, quem appellavit <sup>5)</sup> ἔργα καὶ ἡμέρας <sup>6)</sup> i. e. opera et dies. hic autem liber continet, quem ad modum agri et quibus temporibus sint colendi; cuius titulum transferre noluit, sicut Bucolicorum transtulit, sicuti Aeneidem <sup>7)</sup> appellavit ad imitationem Odysssiae, <sup>8)</sup> tamen eum per <sup>9)</sup> periphrasin primo exprimit versu dicens: indicabo, quo opere et quibus temporibus ager colendus sit. ingenti autem egit arte, ut potentiam nobis sui indicaret ingenii, coarctando lata et angustiora <sup>10)</sup> dilatando. nam cum Homeri et Theocriti <sup>11)</sup> in brevitate scripta <sup>12)</sup> collegerit, unum Hesiodi <sup>13)</sup> librum divisit in quattuor, quod ratione non caret. nam omnis terra, ut etiam Varro docet, quadrifariam dividitur: aut enim arvus <sup>14)</sup> est ager i. e. sationalis, aut consitus <sup>15)</sup> i. e. aptus arboribus, aut pascuus, qui herbis tantum et animalibus vacat, aut florens, <sup>16)</sup>

*P* = Parisinus 7959. *V* = Vaticanus 3317. *B* = Bernensis 363. *L* = Leidensis 80.

*R* = Regimensis 1495. *H* = Parisinus 7965.

- 1) Isiodum *V* 2) reliquit *V* 3) isiodus *V* 4) civitate *exemplaria impressa*  
5) appellant *BV* 6) erga καὶ emeras *P*, erga ζε. l. mere. *V* 7) sicut Aeneiden *B*,  
sicut in Aeneiden *V*, sicut in Aeneide *Petrus Daniel* 8) odissiae *B* (i. e. ulixinae *supr. scr.*);  
odissiae *P*, odisei *V* 9) *om. V* 10) angusta *V* 11) prolixitatem *add. V*  
12) scriptam *V* 13) per periphrasin *add. B* 14) arbus t arbuus *V* 15) consitivus *B*  
16) floridus *BV*

in quo sunt horti apibus congruentes et floribus. male autem quidam Georgicorum duos tantum asserunt libros dicentes georgiam<sup>17)</sup> esse γῆς ἔργον<sup>18)</sup> i. e. terrae operam, quam primi duo continent libri, nescientes tertium et quartum, licet georgiam non habeant,<sup>19)</sup> tamen ad utilitatem rusticam pertinere; nam et pecora et apes habere studii est rustici. licet possimus agriculturam etiam in his duobus sequentibus invenire; nam et farrago sine cultura non nascitur, et in hortis colendis non minorem quam<sup>20)</sup> circa terras constat impendi laborem. et<sup>21)</sup> hi libri didascalici sunt, unde necesse est ut ad aliquem scribantur, nam praeceptum et doctoris et discipuli personam requirit. unde ad Maecenatem<sup>22)</sup> scribit,<sup>23)</sup> sicut Hesiodus ad Persen, Lucretius ad Memmium. sane agriculturae huius praecepta non ad omnes pertinent terras, sed ad solum situm Italiae et praecipue Venetiae teste ipso Vergilio qui ait tibi<sup>24)</sup> *res antiquae laudis et artis ingredior*, cum de Italia diceret.

1) *Quid faciat laetas segetes:*<sup>25)</sup> quae res terras pingues efficiat, nam segetem<sup>26)</sup> modo pro terra posuit. sic<sup>27)</sup> alibi *horrescit*<sup>28)</sup> *strictis seges ensibus.*<sup>29)</sup> pingues autem efficit terras, ut<sup>30)</sup> paulo post dicturus est, cinis, intermissio arandi, incensio<sup>31)</sup> stipularum, stercoreatio; unde etiam *laetas* ait, nam fimus qui per agros iacitur vulgo laetamen vocatur.<sup>32)</sup> *quo sidere terram:* quo tempore; ex sideribus enim tempora colliguntur. et sciendum quattuor primis versibus textum sequentium quattuor librorum contineri.<sup>33)</sup>

2) *ulmisque adiungere vites:*<sup>34)</sup> secundum Italiae situm locutus est,<sup>35)</sup> in qua vites altius elevantur. sic alibi *non*<sup>36)</sup> *eadem arboribus pendet vindemia nostris.*<sup>37)</sup>

3) *quae cura boum, qui cultus habendo sit pecori:* aut in sequenti epexegesis<sup>38)</sup> est, ut hoc sit *qui cultus habendo*<sup>39)</sup> *sit pecori* quod est<sup>40)</sup> *quae*

17) georgicam V 18) ΓΗΣ ΕΡΓΟΝ P, ΕΝΕΡΟΝ B 19) habent B 20) om. PV 21) at V 22) maecenatem P 23) scripsit B 24) Georg. II 174 25) fertiles fecundas id est add. L 26) segetem enim L 27) ut B 28) Aen. VII 526 29) sentibus BV 30) et L, ut paulo post dicturus est om. B 31) incendium V 32) dicitur L. sane quid faciat non interrogat, sed pollicetur add. L 33) sane sidus proprie est quod in se plures continet stellas, sed a poetis confuse ponitur. TERRAM VERTERE perifrasticos arare add. L. VERTERE arando scilicet. MECENAS vocativus. hic autem est cuius rogatu hos libros edidit et ad quem eos scripsit add. R 34) subauditur quo sidere et hoc add. L 35) dixit B 36) Georg. II 89 37) hoc autem rustici maritare dicunt. CONVENIAT expediat ut (Georg. I 254) remis convellere marmor conveniat, vel certe aptum sit L 38) efixegesis PLV 39) habendus R 40) quod est om. V

*cura boum*, aut certe <sup>41)</sup> *κατ' ἐξοχῆν* <sup>42)</sup> ait boves et postea intulit cetera, <sup>43)</sup> ut maius animal <sup>44)</sup> separaret a minoribus, sicut de hominibus facit dicens <sup>45)</sup> *reliquias* <sup>46)</sup> *Danaum* <sup>47)</sup> *atque inmitis* <sup>48)</sup> *Achilli. habendo*: <sup>49)</sup> dum habentur, <sup>50)</sup> ut habeantur. <sup>51)</sup>

4) *experientia*: usu nata doctrina. <sup>52)</sup> *parcis*: autem <sup>53)</sup> servatricibus frugi, <sup>54)</sup> quae mella custodiunt. <sup>55)</sup>

5) *vos, o clarissima mundi lumina, Liber et alma Ceres*: Stoici dicunt non esse nisi unum deum et unam <sup>56)</sup> eandemque potestatem, quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur, unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant, item eandem <sup>57)</sup> Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proserpinam dicunt: secundum quos pro Sole et Luna Liberum et Cererem invocavit. <sup>58)</sup>

6) *quae ducitis annum*: quorum cursu tempora computantur, nam per Lunam mensis, <sup>59)</sup> per Solem annus ostenditur. <sup>60)</sup>

41) secundum quosdam *add. B* 42) *cat exochen PLBV* 43) *pecora add. LH*  
 44) *maiora animalia BV* 45) *dicit P* 46) *Aen. I 30* 47) *danuum P* 48) *immitis PV*  
 49) *autem add. L* 50) *habetur V* 51) *habeatur V*, et alibi (*Georg. II 250*) sed *picis* in morem ad digitos lentescit habendo. dativum ergo pro genetivo posuit, nam habendorum pecorum facit sicut apium parcarum (*pargarum cod.*). et cultum hic habitudinem corporis significat, alias ornatum. Sallustius (*hist. IV 4 Kritz*) cultu corporis ornata egregio et (*Iug. 33*) cultu quam maxime miserabili Romam venit. alias ad animum refertur ut (*Aen. VIII 316*) quis neque mos neque cultus erat. Sallustius (*Catil. 2*) indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transegere (*transigere cod.*). QVANTA quam magna *add. L* 52) u. s. u. natura doctrina *P*, visus doctrina natura *B*, usus natura doctrina *V*. hoc est *ἡ πείρα* vel notitia *add. L* 53) *om. L* 54) *frugi<sup>um</sup> B* (*um ab eadem manu scriptum*), *frugum V* 55) *nec prodige expendunt add. R*, HINC CANERE INCIPIAM pro dehinc vel deinceps, non ergo (*erga cod.*) ab apibus, sed quid faciat laetas segetes *add. L* 56) *deam add. BV* 57) *eandem addidi* 58) *invocabit L. in eodem libro haec sequuntur: LUMINA: numina fuit, sed emendavit ipse quia postea ait et vos agrestum praesentia numina Fauni. LABENTEM currentem vel cito transeuntem* 59) *mensis L* 60) *LIBER sol add. R*, vel certe *deducitis* per duodecim sidera, aut *ducitis* pro *finitis*, ut (*Aen. IX 164*) *noctem custodia ducit* et alibi (*Georg. III 379*) *hic noctem ludo ducunt add. L*

7) *alma Ceres*: *alma* ab alendo, *Ceres* a creando dicta.<sup>61)</sup> *vestro si munere*:<sup>62)</sup> siquidem, nam *si*<sup>63)</sup> confirmantis est.<sup>64)</sup>

8) *Chaoniam pingui glandem mutavit arista*: Epiroticam<sup>65)</sup> a loco in quo abundant<sup>66)</sup> glandes, quibus antea<sup>67)</sup> vescebantur homines.<sup>68)</sup> et modo speciem pro genere posuit; non enim aut<sup>69)</sup> in Epiro<sup>70)</sup> tantum glandes fuerunt, aut de solo Acheloo homines potare consueverant.<sup>71)</sup> sane *Acheloia*<sup>72)</sup>

61) dicitur *P.* quamvis Sabini Cererem Pandam (*coniectura est Prelleri Röm. Mythol. pag. 592, codex exhibet panem*) appellent, Liberum Loebasium. dictus (dictum *cod.*) autem quia graece *λοιβή* (*loebe cod.*) dicitur res divina. vel ideo simul Liberum et Cererem posuit quia et templa eis simul posita sunt et ludi simul eduntur. *add. L* 62) quoniam sine cibo et potione vivere non possumus, vel munere beneficio ut (*Aen. V 337*) et munere victor amici. si autem hic pro *add. L* 63) modo *add. L*, hic *add. B* 64) Terentius (*Phorm. I 2, 69 Fleck.*) non si redisset pater ei veniam daret *add. L* 65) quae cur Chaonia dicta sit in tertio Aeneidis plenius habes, et hic ideo Epiroticam *add. L* 66) abundant *PV* 67) ante *B* 68) vel quod ibi quercus Iovi Dodonaeo (*doloneo cod.*) sacrata quae hominibus responsa reddebat; ex hac cum fuisset excisa columbae quae vaticinabantur volasse dicuntur *add. L* 69) ait *V* 70) epyro *P* 71) consueverunt *V*. PINGUI GLANDEM *M. A.* quoniam primo homines glande pascebantur, qui victus mutatus est invento frumento a Cerere. nam aristam pro frumento posuit, et affectate ait pingui arista cum proprie arista ab ariditate sit dicta. INVENTIS UVIS a Libero scilicet. ACHELOIA aquatica *add. R*, pingui autem arista modo pro frumento posuit, et affectate ait pinguem aristam, cum proprie (proprio *cod.*) arista ab ariditate sit dicta. glandem vero mutavit arista ita ait ut togam (*Salmasius ad Solin. polyh. p. 137 D coni., coiam cod.*) paludamento mutavit. POCULAQUE INVENTIS ACHELOIA MISCUIT UVIS: Achelous (*achelois cod.*) terrae fuisse filius dicitur, ut solet de his dici quorum per antiquitatem latent parentes. hic cum de Melpomene vel, ut quidam dicunt, de Calliope musa Sirenas habens filias amisisset et maerore conficeretur, auxilium matris oravit (*oravis cod.*), ut sibi seni luctus remedium praestaret: quae miserans filium patefactis antris intra sese obruit. cui postea ut perennem famam nominis daret, in Aetolica regione fluvium eiusdem vocabuli nasci fecit, quem non nulli de Pindo monte Thessaliae oriri dixerunt. circa hunc Staphylus Oenei pastor cum animadvertisset ex capellis unam esse pinguissimam, intellexit id pabuli ubertate (*libertate cod.*) fieri. secutus itaque eandem cum vidisset uvis vesci, admiratus et novitatem et dulcedinem decerptum fructum pertulit regi, qui cum liquorem expressisset a suo nomine appellavit *οἶνον* (*oenon cod.*) ab inventore *σταφυλήν* (*inventor. ē. afylen cod.*). sed Hercules cum propter uxorem Deianiram (*deianeram cod.*) cum Acheloo contenderet, cornu eius unum fregit, quod graece *κέρας* (*ceras cod.*) dicitur, unde miscere poculum apud Graecos *κεράσαι* (*caerasae cod.*) dicitur. *add. L* 72) sane Acheloia] sed hic acheloum *L*



non praeter rationem dixit; nam, sicut Orpheus docet,<sup>73)</sup> generaliter<sup>74)</sup> aquam veteres Acheloum<sup>75)</sup> vocabant. sed<sup>76)</sup> quia<sup>77)</sup> specialiter fluvius quidam Achelous dicitur,<sup>78)</sup> aut species est pro genere, aut secundum antiquitatem locutus est.<sup>79)</sup> *pingui arista*: aristam modò pro frumento posuit,<sup>80)</sup> et adfectate<sup>81)</sup> ait pinguem aristam, cum proprie arista ab ariditate sit dicta.

10) *et vos agrestum praesentia numina Fauni*: i. e. propitia,<sup>82)</sup> ut (Ecl. I 41) *nec tam praesentes*<sup>83)</sup> *alibi cognoscere divos*, quorum<sup>84)</sup> praesentia favor<sup>85)</sup> est. et bene de<sup>86)</sup> diversis rebus<sup>87)</sup> dicturus diversa invocat numina.<sup>88)</sup>

11) *ferite simul Faunisque pedem*:<sup>89)</sup> aut simul venite, aut date carmini meo facilitatem, quod utique pedibus continetur, ut sit<sup>90)</sup> *ferite pedem* metricam praestate rationem.<sup>91)</sup>

73) et Aristophanes comicus et Ephoros (euphorus *cod.*) historicus tradunt, Acheloon *add. L.* (cf. *Macrob. Sat. V 18 ed. Bip.*) 74) propter antiquitatem fluminis omnem *add. L.* (cf. *Didymus ap. Macrob. l. l. ἄμεινον δὲ ἐκείνο λέγειν ὅτι διὰ τὸ πάντων τῶν ποταμῶν πρεσβύτατον εἶναι Ἀχελῶων, τιμὴν ἀποπέμμεναις ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου πάντα ἀπλῶς τὰ νάματα τῆ ἐκείνου ὀνόματι προσαγορεύειν.*) 75) Acheloum *om. L.* acheloam *V* 76) ergo *L.* sicut *B* 77) qui *P* 78) fluvius quidam Achelous dicitur] Achelous Graeciae fluvius est *L* 79) dixit *B* 80) dixit *B* 81) a fecunditate *B.* affectate ait pingui *supr. vers. m. sec. V* 82) AGRESTUM subaudi deorum. PRAESENTIA i. e. propitia *add. R* 83) praesens *P* 84) quorum] numinum autem *R* 85) i. e. auxilium *add. B* 86) *om. B* 87) et ad rusticos pertinentibus *add. R* 88) nomina *B.* hoc enim et in sacris fieri solebat, ut post specialia ad eam rem de qua agebatur invocata numina omnes dii vel deae confuse invocarentur. PRAESENTIA NUMINA FAUNI: praesentia, quoniam dicuntur usque ad ea tempora quibus fuit Faunus, qui dictus est a fando, visa esse numina. quidam Faunos putant dictos ab eo quod frugibus faveant. Cincius et Cassius aiunt ab Evandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras faunas primo appellatas, postea fana dicta, et ex eo qui futura praecernerent fanaticos dici. FAUNIQUE PEDEM: cum unus Faunus sit, cur pluraliter posuit? sed Varro ad Ciceronem (VII 36 *Muell.*) ita ait: Fauni (*om. cod.*) dii Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sit † per ex versibus quos vocant saturnios in silvestribus locis solitos fari futura atque inde Faunos dictos esse *add. L* 89) pedem FERTE SIMUL *L* 90) sensum *add. B* 91) PUELLAE nimphae. MUNERA VESTRA C. i. e. quae per vos sunt conlata hominibus *add. R.* DRYADESQUE (DRIADESQUE *cod.*) PUELLAE: dryades a quercubus, quod iam supra dictum est *add. L*

12) tuque o cui prima frementem fudit equum magno tellus percussa tri-  
denti: 92) fabula talis est. 93) cum Neptunus et Minerva de Athenarum nomine 94)  
contenderent, placuit diis, ut eius nomine civitas appellaretur, 95) qui munus  
melius mortalibus obtulisset. 96) tunc Neptunus percusso litore equum, animal  
bellis aptum, produxit, Minerva iacta hasta 97) olivam creavit, quae res est  
melior comprobata 98) et pacis insigne. 99) ut autem modo Neptunum invocet  
causa eius muneris facit, quia de equis est dicturus in tertio: alioquin 100) in-  
congruum est, si de agricultura locuturus numen invocet 1) maris. equum  
autem a Neptuno progenitum alii Scyphium, 2) alii Scironem, 3) alii Arionem 4)  
dicunt fuisse nominatum. et ideo dicitur equum invenisse, quia velox est eius  
numen et mobile 5) sicut mare. unde etiam Castor et Pollux, quia eorum  
velocissimae stellae sunt, equos in tutela habere dicuntur. 6)

92) antiquissimi libri 'fudit aquam' plerique habuerunt, quoniam Neptunus fluminibus et  
fontibus et aquis omnibus praest, ut ipse docet (*Georg.* IV 29) aut praecipit Neptuno  
inmerserit (inmerseri *cod.*) eurus (aurus *cod.*), sed melius 'equum' propter armenta *add.*  
*L. eadem leguntur ad vers. 14 post verba quae sunt in Aegaeo mari his additis:* in corn.  
equum, in eauthentico aquam, ipsius manu equum. 93) eius *L.* 94) nomine *B.* 95) dice-  
retur *B.* 96) optulisset *V.* 97) asta *V.* 98) comprobata *P.* 99) et pacis insigne *om. L.*  
100) alioqui *B.* 1) invocet *V.* 2) Scyphium *scripsi* (*cf. Prell. griech. Mythol.* I p. 461):  
scythium *PVL*, scythium *B.* alii chitum *add. L.* 3) schironem *VL*, scyronem *B.* alii scir-  
ronem *om. P.* 4) alii Arionem] alionem *B.* 5) mouile *V.* 6) sane hunc equum (equum  
*cod.*) cuiuscumque nominis alii apud Arcadium, alii in Thessalia editum dicunt, in qua (quo  
*cod.*) etiam montem altissimum ostendunt, ubi primum equus visus sit, in tantum ut ob  
hanc causam a Thessalis Neptuno equestre certamen memorent institutum; unde apud Grae-  
cos Ἰππιος Ποσειδῶν (ippios posidon *cod.*), a nobis equester Neptunus. alii hanc eandem  
de equo opinionem varie adserunt; nam primum equum (equum *cod.*) et mox pullum equinum  
matre editum tradunt: quidam marem magis pullum initio editum volunt. non nulli Saturno,  
cum suos filios devoraret, pro Neptuno equum (equum *cod.*) oblatum devorandum tradunt,  
unde Illyricos quotannis ritu sacrorum (ritus agrorum *cod.*) equum solere aquis immergere:  
unde hoc autem ideo quod Saturnus humoris totius et frigidus deus sit. 'prima' autem multi pro  
olim accipiunt, ut (*Aen.* I 24) prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.  
alii 'prima' ideo quod post Scyphium (scythium *cod.*) Arionem genuit, non nulli vero ob hoc  
'eui prima frementem fudit aquam' legunt, quod veteres murmura aquae (*corr. Petrus Daniel*,  
*cod.*) fremitum dicebant. Ennius (*trag.* 146 *Vahl.*) ager oppletus imbrium fre-  
mitu et denuo (*ann.* 489 *Vahl.*) ratibusque fremebat imber Neptuni, Vergilius in  
XI (nono *cod.*) vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis. ergo 'prima' aut  
propriam (appropriam *cod.*), quia et Pegaso fontem in Boeotia (boetia *cod.*) icta eius ungula  
fudit, aut 'prima tellus' i. e. litus, ut (*Aen.* I 541) primaque vetant consistere (con-  
sidere *cod.*) terra *add. L.*

15) *et cultor nemorum cui pingua Caeae*: Aristaeum <sup>7)</sup> invocat i. e. Apollinis et Cyrenes <sup>8)</sup> filium, <sup>9)</sup> quem Hesiodus <sup>10)</sup> dicit Apollinem pastorem. hic ut etiam Sallustius <sup>11)</sup> docet, <sup>12)</sup> post laniatum a canibus Actaeonem filium matris instinctu <sup>13)</sup> Thebas reliquit <sup>14)</sup> et Ceam <sup>15)</sup> insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam: postea ea relicta cum Daedalo ad Sardiniam transitum fecit. <sup>16)</sup>

16) *saltusque* <sup>17)</sup> *Lycaeii*: <sup>18)</sup> montis Arcadiae. <sup>19)</sup>

17) *si tibi*: <sup>20)</sup> siquidem tibi. <sup>21)</sup> *Maenala*: <sup>22)</sup> mons Arcadiae <sup>23)</sup> dictus ἀπὸ τῶν μύλων i. e. ab ovibus, <sup>24)</sup> quibus plenus est.

18) *Tegeae*: <sup>25)</sup> vocativus <sup>26)</sup> est a derivatione Tegei <sup>27)</sup> oppidi Arcadiae <sup>28)</sup> et Tegeum <sup>29)</sup> tribrachys <sup>30)</sup> est, *Tegeae* <sup>31)</sup> paeon tertius. <sup>32)</sup>

7) arisea L 8) cyraene L 9) filius B 10) esiodus PB, isiodus V 11) salustius PV 12) dicit B 13) matris instinctu om. L 14) reliquit PV 15) chean P, cheam B 16) huic opinioni Pindarus (*fragm.* 235 *Bergk ed.* III p. 368) refragatur, qui cum ait de Caea insula in Arcadiam migrasse ibique vitam coluisse. nam apud Arcadas pro Iove colitur, quod primus ostenderit, qualiter apes debeant reparari, ut ait poeta de hoc ipso Aristaeo (*Georg.* IV 283) tempus et Arcadii memoranda inventa magistri pandere. CULTOR autem pro incola. Caea vero insula in Aegaeo mari. DUMETA frutices. IPSE NEMUS LINQUENS PATRIVM PAN OVIUM CUSTOS: Pindarus (*fragm.* 77 *Bergk ed.* III p. 313) Pana ex (et *cod.*) Penelope filium dicit, unde multi patrium pro paternum accipiunt, eo quod Pan non Arcas sit, sed Ithacesius, ut a patre, non a patria vox haec videatur detorta, quia in Arcadia (*arcadia cod.*) genitus. *add. L*, TONDENT pascunt *add. R* 17) *om. PB* 18) licaei P, lycei B, licei V 19) archadiae P. PAN OVIUM CUSTOS: ideo Lyceus Pan ovium custos, quod lupos ab ovium gregibus depellat. *add. L*, λύκος graece dicitur lupo, unde in lyceo quibusdam sacris degustatis vertebantur in lupo et post decem annos vertebantur in pristinum statum, si hominum carnibus non vescerentur. *add. H* 20) MENALA si tibi *add. L* 21) *om. P*. si confirmantis est ut supra *add. B* 22) autem *add. L* 23) archadiae P 24) a bubus V 25) tegeae PL, tegee B 26) vocatus L 27) tegaei PL, tege V 28) archadiae P 29) tegeus L 30) tribrachus P, tribrachis LV, tribrachus B 31) tegeae PBV, tegeus L 32) ordo est: adsis favens o ipse Pan Tegeae (*taegeae cod.*) ovium custos, siquidem tibi curae sunt tua Maenala pro Maenalus, linquens patrium nemus saltusque Lycei. oleaeque Minerva inventrix, quia ut supra dictum est Minerva oleam invenit *add. R*, FAVENS pro volens et per hoc propitius, favere enim veteres etiam velle dixerunt. Ennius (*ann.* 376 *Vahl.*) matronae moeros complent spectare faventes. non numquam favere et pro tacere (*tegere cod.*) ponitur, ut idem Ennius (*corr. Petrus Daniel*, en inris *cod.*) ore faventes (*ann.* 415 *Vahl.*) et Vergilius in quinto (71) ore favete omnes. OLEAEQUE MINERVA INVENTRIX: eo tempore quo adversum Neptunum de nomine civitatis contendit, quod iam supra dictum est. cui fabulae

19) *uncique puer monstrator aratri*: <sup>33)</sup> alii Triptoleum, <sup>34)</sup> alii Osirim <sup>35)</sup> volunt, quod magis verum est, <sup>36)</sup> nam Triptolemus frumenta divisit. <sup>37)</sup> bene <sup>38)</sup> autem tacuit <sup>39)</sup> de nomine et generaliter ait *puer*; nam non unus aratrum toto orbe monstravit, sed diversi in diversis locis.

20) *et teneram* <sup>40)</sup> *ab radice ferens Silvanæ cupressum*: Silvanus deus est silvarum. hic amavit puerum Cyparissum nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. hanc <sup>41)</sup> cum Silvanus nescius occidisset, puer est extinctus dolore;

hoc additur, quod, postquam Minerva inventa olea Neptunum vicerit, indigne ferens Alisotheus Neptuni filius oleas coepit excidere: cui dum hoc facit ferrum de manubrio decidit et ei caput amputavit. Neptunus vero dolens filii sui obitum Martem homicidii coepit arguere. inde effectum est, ut Mars et Neptunus de hac re iudicium apud Athenas experirentur, unde locus ubi iudices sederunt Arcos pagos, iudices Atheniensium areopagitæ (areopagithe *cod.*) appellantur. *add. L* 33) UNCI curvi *add. R* 34) treptoleum *B* 35) osirin *L* 36) ut dicit Propertius vel Tibullus *add. L.* (*versus Tibulli sunt I 7, 29 sqq.*) 37) quod munus ei Ceres dedit propter humanitatem patris Icari, qui eam, cum Proserpinam raptam in coniugium a Plutone quaereret, in (*supra versum addidit manus secunda*) Attica suscepit hospitio. alii talem de hoc Triptolemo fabulam tradunt: Ceres cum Proserpinam filiam quaereret ad Eleusinum (aleusinum *cod.*) regem devenit, cuius uxor Cyntinia puerum Triptoleum (trip GEORGIC tolemum *cod.*) pepererat (*corr. m. sec. peperat m. pr.*), seque nutricem pueri amore ducta simulavit reginae; sed nutrix recepta cum vellet alumnum suum immortalem (immortale *cod.*) reddere interdiu eum (cum *cod.*) lacte divino alebat, noctu in ignem clam obruebat. itaque praeter quam solent mortales crescebat. id sic fieri cum pater admiraretur, nocturno tempore observavit, cum Ceres vellet puerum in cinere et in igne abscondere. pater exclamavit, illa irata Eleusinum exanimavit, Triptolemo alumno suo aeternum beneficium dedit. nam ad fruges portandas currum draconibus iunxit deditque ei quibus ille vectus orbem terrarum frugibus obseruit. quem postquam domum rediit cum Cephalus rex interficere voluisset, re (*Munkerii coniectura est, per cod.*) cognita iussu Cereris Triptolemo regnum tradidit, qui accepto regno oppidum constituit et ex patris nomine Eleusinum nominavit Cererique sacra primus instituit, quae θεσμοφόρια (thesmoforia *cod.*) graece dicuntur. Varro de scenicis originibus vel in Scauro (dicunt, ut ait Varro de scenicis originibus II et in Scauro *scrips. Riese fragm. Varr. sat. Men. p. 256*) Triptoleum dicit Nigidius sphaerae (saerae *cod.*) barbaricae sub virginis signo aratorem quem Oron Aegyptii (aratorq. morona egyptii *cod.* cf. *Herod. II 144 et 156*) vocant, quod Oron Osiridis filium ab hoc educatum dicunt. ergo Osiris significatur, ut Philostephanus περί εὐρημάτων (peri eurematon *cod.*), vel Epimenides qui buzyges (buziges *cod.*) dictus est secundum Aristotelem (aristotelem *cod.*) *add. L* 38) bene—locis *om. L* 39) docuit *B* 40) TENEREM *L* 41) hinc *L.*

quem amator deus in cupressum arborem nominis eius<sup>42)</sup> vertit, quam pro solatio portare dicitur.<sup>43)</sup>

21) *digue deaeque omnes*: post specialem invocationem transit<sup>44)</sup> ad generalitatem,<sup>45)</sup> ne quod<sup>46)</sup> numen<sup>47)</sup> praetereat.<sup>48)</sup> quod autem dicit<sup>49)</sup> *studium quibus arva tueri* nomina<sup>50)</sup> haec numinum in<sup>51)</sup> indigitamentis inveniuntur<sup>52)</sup> i. e. in libris pontificalibus, qui et<sup>53)</sup> nomina deorum et rationes ipsorum<sup>54)</sup> nominum<sup>55)</sup> continent, quae etiam Varro dicit. nam, ut supra diximus,<sup>56)</sup> nomina numinibus ex officiis constat inposita, verbi causa ut ab occasione<sup>57)</sup> deus<sup>58)</sup> Occator<sup>59)</sup> dicatur, a<sup>60)</sup> sarritione<sup>61)</sup> Sarritor,<sup>62)</sup> a stercoreatione<sup>63)</sup> Sterquilinius,<sup>64)</sup> a satione<sup>65)</sup> Sator.<sup>66)</sup>

22) *non nullo*<sup>67)</sup> *semine*: i. e. aliquo, et hoc dicit: qui<sup>68)</sup> a nobis<sup>69)</sup> iacta semina vestris seminibus alitis. semina autem dicit deorum caeli temperiem, pluvias,<sup>70)</sup> terrae rorem.<sup>71)</sup>

23) *satis*: segetibus,<sup>72)</sup> ut (I 325) *sata lacta boumque labores*.<sup>73)</sup>

42) sui V 43) sane in Bucolicis (X 24) alium illi habitum dedit venit et agresti capitis Silvanus honore. quidam Silvanum primum instituisse plantationes dicunt, ideo 'tenera ab radice' poetam dixisse. an 'ab radice tenera' quia caesa cupressus dicitur non renasci? † idem invalida. an ab radice tenens? *add. L* 44) transit P 45) generalem R 46) quot L 47) nomen L 48) more (timore *cod.*) pontificum, per (*add. i. marg. Petrus Daniel, om. cod.*) quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. *add. L* 49) quod autem dicit *om. L* 50) numina V 51) *om. B* 52) invocantur B 53) qui et] quae P 54) eorum V 55) numinum L 56) dixi B 57) ab uocatione P, a uocatione BR, ab occasione L 58) *om. B* 59) uocator PBR 60) *om. L* 61) sarritione V, sarricione L 62) saritor V 63) stercoreatione P 64) sterquilinius B, sterquilinius L 65) satitione V, sacione L 66) Fabius Pictor hos deos enumerat quos invocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: vervactorem, reparatorem, inporcitorem (inporticitorem *cod.*), insitorem, obaratorem, occatorem (hoccatorem *cod.*), sarritorem, subruncinatorem, messorum, convectorem, conditorem, promitorem. TUERI pro tuendi aut tuendorum. QUIQUE NOVAS ALITIS i. e. omnes qui hoc potestis *add. L*. NOVAS FRUGES unius cuiusque anni. ALITIS nutritis et crescere facitis *add. R* 67) ULLO L 68) quia B 69) novis V 70) pluvia L (pluvias *corr. m. sec.*) 71) terrae rorem] et teporem rorem V, teporem L, in quo haec *adduntur*: vel NON ULLO SEMINE ab hominibus scilicet iacto, ut (II 49) quippe solo natura subest. 72) segitibus B 73) largum (largo *cod.*) autem caelo demittitis imbrem: per haec aquam et terram significari vult. *add. L*, CAELO i. e. de caelo. DEMITTITIS deorsum mittitis. *add. R*

24) tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum concilia incertum est: <sup>74)</sup> iam adulatur Augusto <sup>75)</sup> quem inter deos invocat. <sup>76)</sup> nec totum <sup>77)</sup> tamen dandum est adulationi, <sup>78)</sup> sed et veritati. nam cum omnes imperatores post mortem sint inter deos relati, Augustus vivus divinos <sup>79)</sup> honores emeruit, quod etiam Horatius <sup>80)</sup> testatur <sup>81)</sup> dicens <sup>82)</sup> (epist. II 1, 15) *praesenti tibi maturos largimur honores iurandasque tuum per numen* <sup>83)</sup> *ponimus aras*. unde male quidam culpant Vergilium <sup>84)</sup> dicentes, eum aviditate laudandi citum interitum Augusto optasse, cum eum constet <sup>85)</sup> ad rem quae tunc fiebat respexisse. <sup>86)</sup> possumus tamen mox pro post accipere, ut <sup>87)</sup> Horatius <sup>88)</sup> (carm. III 6, 48) *mox duros* <sup>89)</sup> *progeniem vitiosorem* i. e. postea. potest et mox <sup>90)</sup> ad vitae humanae brevitatem referri, <sup>91)</sup> nam ipse ait in decimo (861) *Rhoebe* <sup>92)</sup> *diu, res si qua diu mortalibus ulla est, viximus*. sane sciendum, mire eum laudasse, quod ait *quem mox quae sint habitura deorum concilia incertum est* i. e. nondum scimus, quis deus <sup>93)</sup> esse velis; nam deum fieri maximum est, in potestate <sup>94)</sup> habere quis <sup>95)</sup> deus fieri velis plus esse quam maximum constat.

25) *urbisne* <sup>96)</sup> *invisere Caesar*: <sup>97)</sup> utrum velis terrarum, an maris, an caeli imperium possidere. <sup>98)</sup>

27) *tempestatumque potentem*: aut bonarum tempestatum, ut (Aen. IX 19) *unde* <sup>99)</sup> *haec tam clara repente* <sup>100)</sup> *tempestatum?* <sup>1)</sup> aut *tempestatum* <sup>2)</sup> ait temporum, <sup>3)</sup> ut ubique Sallustius. <sup>4)</sup>

74) 'adeo' hic praecipue. quidam adeo abundare (habundare *cod.*) putant antiqua figura, ut (III 242) omne adeo genus in terris. et *add. L* 75) adulatur Augustum *BV*, adulatio ad Augustum *L* 76) *verba quae sunt* invocat nec totum tamen dandum est *m. sec. in marg. add. in L* 77) hoc totum *omisso* tamen *R* 78) adulationi *VBR* 79) divos *P* 80) oratius *VBL* 81) affirmat *B* 82) *om. B* 83) nomen *PBV* 84) Virgilium *PBV* 85) constat *P* 86) cum eum ad rem quae tunc fiebat respexisset *B*, cum ad rem quae tunc fiebat respexerit *L* 87) *om. VL* 88) oratius *BV* 89) datura *L* 90) statim *add. L* 91) quae non diu permanet *add. R*, nam ipse ait — viximus *om. B* 92) roebe *P*, reue *V*, rebe *L* 93) qui deum *B* 94) autem *add. H m. sec. in marg.* 95) qui *P* 96) *URBESNE L* 97) tradidit *add. L* 98) *ET TE MAXIMUS ORBIS* utrumne te pro Jove coli velis. *AUCTOREM FRUGUM* qui frugibus et ceteris rebus originem praestes *add. L. AUCTOREM. F. i. e. caelestem deum add. R* 99) inde *B* 100) repetente *P* 1) vel potestas *supra scriptum in B* 2) tempestum *B*, tempestatem *V* 3) ait temporum] deum portunum *B* (oportunum correctum est) 4) salustius *V*. ea tempestate. et potentem modo nomen est *add. L*

28) *materna*<sup>5)</sup> *myrto*:<sup>6)</sup> quae in<sup>7)</sup> honore<sup>8)</sup> est Veneris a qua Augustus<sup>9)</sup> originem ducit.<sup>10)</sup>

30) *numina sola colant*:<sup>11)</sup> magna,<sup>12)</sup> quasi melior sit<sup>13)</sup> futurus et Neptuno et ceteris diis marinis. *Thyle*:<sup>14)</sup> insula<sup>15)</sup> est Oceani inter septemtrionalem et occidentalem plagam ultra Britanniam<sup>16)</sup> Hiberniam Orchadas.<sup>17)</sup>

31) *Tethys emat omnibus undes*: Thetys<sup>19)</sup> est uxor Oceani, nympharum<sup>20)</sup> mater. quod autem ait *emat*, ad antiquum<sup>21)</sup> nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus et uxor invicem emebant,<sup>22)</sup> sicut habemus in iure.<sup>23)</sup>

32) *tardis sidus te mensibus addas*: i. e. aestivis.<sup>24)</sup>

5) MATERNAM L 6) mirto P, MIRTO L 7) est in honore P 8) onorem L 9) accustus L 10) per Gaium Caesarem. AN DEUS i. e. an pro Neptuno coli te velis et INMENSI MARIS cuius mensura non potest comprehendi. VENIAS autem aliquanti (aliqui *Masvicius*) pro sis accipiunt, ac si graece (grege *cod.*) diceret οἶσα sive ἰπάριχουσα; ire (irae *cod.*) veteres pro esse dicebant. *add. L* 11) COLUNT L, in quo additur sola 12) praecipua i. e. supra alios deos marinos *add. L* 13) sis V 14) thile V 15) insola B 16) brittanniam PV, brittanniam BL 17) et hiberniam et orchadas B, inter hiberniam et orchadas V, iuxta orchadas et iuverniam L, qui addit in hac Thyle (*tile cod.*) cum sol in cancro est dies continuus sine noctibus esse dicitur. multa praeterea miracula de hac insula feruntur, sicut apud Graecos Ctesias (*etesias cod.*) et Diogenes, apud Latinos Sammonicus dicit. in Vaticano haec addita sunt et aliter: Insula in oceano ultima in qua cum sol in cancro est perpetui dies sine noctibus esse dicuntur. quae *Philargyrio vulgo attribuuntur* 19) thetis PVL 20) nimfarum PBV 21) antiquum L 22) coemebant P 23) tribus enim modis apud veteres nuptiae fiebant: usu, si verbi gratia mulier (*gratiā ||||lier cod.*) anno uno cum viro licet sine legibus fuisset: farre, cum per pontificem matrum et dialem flaminem per fruges et molam salsam coniungebantur, unde confarreatio appellabatur, ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur: coemptione vero atque in manum conventionem, cum illa in filiae locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus locum hereditatis iustum alteri faceret. et bene serviat, quia quaecumque in manum convenerat, omnia protinus quae doti dicebantur marito serviant. hanc Tethyn Cicero in Timaeo Salaciam dicit. generum vero pro marito positum multi accipiunt iuxta Sappho quae in libro qui inscribitur (*scribitur cod.*) ἐπιθαλάμια, (*epithalami cod.*) ait (*ant cod.*) χαῖρε νόμφα, χαῖρε τίμιε (*τιμιε cod.*) γαμβρὸς πολλὰ ἀντὶ τοῦ νυμφε. sic et Pindarus ἐν τοῖς παιᾶσιν (*παιᾶσιν cod. ἰσθμῖτος edd.*) *add. L* OMNIBUS UNDIS omni mari, ut videlicet totius maris et omnium aquarum sis deus *add. R* 24) vel quia optat ut diu vivat, vel quia virgo et libra *δυσαναφορά* (*dysanaphora cod.*) i. e. tarde orientia dicuntur. et tardis an quia aureo saeculo longiores dies dicuntur fuisse, an post multos tardosque menses ut deus fiat, an id (*it cod.*) aut incipient magni procedere menses (*Ecl. IV 12*), per hunc magni? *add. L*

33) *qua locus Erigonen inter chelasque sequentes*: Aegyptii duodecim<sup>25)</sup> esse adserunt<sup>26)</sup> signa, Chaldaei vero undecim;<sup>27)</sup> nam scorpionum et libram unum signum accipiunt, chelae enim scorpionum<sup>28)</sup> libram faciunt. iidem<sup>29)</sup> Chaldaei nolunt<sup>30)</sup> aequales esse partes in omnibus signis, sed pro qualitate sui aliud<sup>31)</sup> signum viginti, aliud quadraginta habere, cum Aegyptii tricenas esse<sup>32)</sup> partes in omnibus<sup>33)</sup> velint. modo ergo secundum Chaldaeos<sup>34)</sup> locutus est dicens, posse eum habere locum inter scorpionum et virginem, nam Erigone ipsa est virgo.<sup>35)</sup> sciendum deinde est<sup>36)</sup> voluisse maiores in his signis esse deorum domicilia, ut<sup>37)</sup> Solis est leo, Lunae vero cancer. ceterorum vero quinque planetarum<sup>38)</sup> bina sunt signa, prout se ratio siderum sequitur. nam primus circulus a terra Lunae est, secundus Mercurii,<sup>39)</sup> tertius Veneris, quartus Solis, quintus Martis, sextus Iovis, Saturni ultimus.<sup>40)</sup> sed remotis<sup>41)</sup> Sole et Luna, quorum sunt domicilia leo et cancer, hi quinque<sup>42)</sup> ordine<sup>43)</sup> quo eorum<sup>44)</sup> sunt circuli bina possident signa, unum a sequentibus et unum a superioribus, ut<sup>45)</sup> Mercurii<sup>46)</sup> sint virgo et gemini, Veneris libra et taurus, Martis scorpionum et aries, Iovis sagittarius et pisces,<sup>47)</sup> Saturni capricornus<sup>48)</sup> et aquarius. unde per haec loca siderum Augustum et fortem propter<sup>49)</sup> scorpionum i. e. Martis domicilium, et<sup>50)</sup> iustum propter libram, et prudentem propter vicinam<sup>51)</sup> virginem i. e. Mercurii domicilium fore<sup>52)</sup> significat.<sup>53)</sup>

25) XX B 26) asserunt VB 27) XX B 28) scorpionum V 29) idem VBL, item P 30) volunt L 31) aliud L 32) inesse B 33) signis *add.* B 34) Chaldaeos P 35) iam brachia contrahit ardens scorpionum, ut scilicet te recipiat et tibi locum det *add.* R. *sequuntur scholia Serviana ad v. 35* 36) X *add.* PR 37) et PL 38) planetarum P 39) mercurii L 40) septimus *supra scr. in B* 41) remoti sunt B 42) hae quinque B (uel hi circuli *supra scr.*) 43) ordines VB 44) vel earum *supra scr. in B* 45) cum L, et B (ut *corr.*) 46) in domicilio vel circuli *supra scr. in B* 47) piscis V 48) capicornus L 49) proter V 50) et iustum propter — Mercurii domicilium *om.* B 51) vicinam virginem i. e. *om.* V 52) esse V 53) *om.* V, qui *addit* bene autem Augusto inter virginem et scorpionum i. e. inter iustitiam et virtutem locum tribuit; nam chelae scorpionum (cheles scorpionis *cod.*) brachia sunt, qui sexaginta partes in caelo habet. solum fore significat. *in L haec adduntur* vel certe ideo inter scorpionum brachia, quae sunt libra, et Erigonen, quae est virgo, quia libra aequitas, virgo iustitia, sane haec Erigone Icarum filia fuit tantae pietatis in patrem, ut cum eum vidisset mortuum, omni se luctu (*corr.* Petrus Daniel, lectu *cod.*) ac macore conficeret: ob quam rem misericordia deorum inter signa locum virginis sub iustitiae vocabulo iussa est obtinere. chelas autem sequentes ideo ait, quia sicut dictum est, ipsae sunt libra.



34) *panditur ipse tibi*: ordo est: qua locus ipse tibi panditur.<sup>54)</sup> *tibi* autem in tuum honorem et gratiam.<sup>55)</sup>

35) *ardens scorpius*:<sup>56)</sup> ardens ad illud refertur, quia Martis est domicilium; nam scorpii tempus frigidum est, quippe cuius November est mensis.<sup>57)</sup> *iusta plus parte*: secundum Chaldaeos, qui scorpium dicunt spatium duorum signorum tenere.<sup>58)</sup>

36) *quicquid*<sup>59)</sup> *eris*: ordo est: quicquid<sup>60)</sup> eris, da facilem cursum; cetera enim per parenthesin<sup>61)</sup> dicta<sup>62)</sup> sunt.<sup>63)</sup> *nam te nec*<sup>64)</sup> *sperent Tartara regem*,<sup>65)</sup> *nec tibi regnandi veniat tam dira cupido*: ἀλληγορικῶς<sup>66)</sup> dicit illum nec debere mori velle nec posse.<sup>67)</sup>

38) *quamvis Elysios*<sup>68)</sup> *miretur Graecia campos*: licet<sup>69)</sup> praeferantur inferi a graecis poetis.<sup>70)</sup>

39) *nec repetita sequi curet Proserpina matrem*: Ceres<sup>71)</sup> cum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu quaesisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit:<sup>72)</sup> pro qua re cum Iovis implorasset auxilium ille respondit, posse eam reverti, si nihil apud inferos gustavisset.<sup>73)</sup> illa autem iam punici

